



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Conslibvs Et Popvlo Sutrinis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

experti, ut beneficia ipsa personis idoneis appellatione remota valeas assignare, auctoritate tibi praesentium indulgemus; firmiter inhibentes ne vel illis qui de manu ejus beneficia receperunt, vel alii qui ei jam excommunicato participare non sunt veriti vel etiam obediens, tanquam indignis, hujusmodi beneficia conferre presumas. Nulli ergo &c. Datum Laterani V. Kalendas Novemboris.

*CASTEL LANO, PER VS IN O,*  
*Clusino, & Eugubino Episcopis, & dilectis*  
*filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Ec-*  
*clesiarum Prelatis in eorum dioecesisbus con-*  
*stitutis.*

*Epiſt. 101.*  
*Vt Legatum*  
*apostolicum*  
*seruantes ex-*  
*cepimus.*

**A**postolica sedes, quæ disponente Domino inter omnes Ecclesias obtinet principatum, alios vocavit in partem solitudinis, retenta sibi plenitudine potestatis; ut quoniam Romanus Pontifex pro defectu conditionis humanae per se ipsum omnia expedire non potest, iuvetur subsidiis aliorum, quibus vices suas committit, ad exemplum Domini & magistri, qui discipulos suos per mundum universum transmisit, salutem nostram in medio terræ personaliter operatus. Sanè cum nos & fratres nostros, propter curam & solitudinem apostolici patrimonij, ab occupationibus variis, quas pro statu Ecclesiarum omnium inde sinenter subimus, saepius nos contigerit evocari; nolentes, sicut nec velle debemus, temporalia spirituibus anteferre, de consilio fratum nostrorum viam elegimus tutiorem, qua & curam temporalium non negligimus, & spiritualem, sicut convenit, præferimus dignitatem, dilectum filium nostrum G. sancti Georgij ad velum aureum Diaconum Cardinalem, apostolicae sedis Legatum, virum utique providum & prudentem, & honestate morum & generositate natalium commendandum, quem inter fratres nostros speciali caritate diligimus, ad ea quæ præmissimus exequenda duximus assumendum, concessa sibi nihilominus potestate ut in Ecclesiis & parochiis vestro regimini deputatis evellet & destruar, ædificet & planteret, quæ in eis evelienda & destruenda, ædificanda occurrerint & plantanda. Quocirca universitatē vestrā per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ipsum, tanquam honorabile mem-

brum Ecclesiæ & Legatum apostolicæ sedis, recipientes humiliter & devote, ipsius salubria monita & statuta & vos ipsi diligenter servetis, & à subditis vestris faciatis efficaciter observari. Nos enim sententiam quam in rebelles & contraires rationabiliter duxerit promulgandam, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino firmitatem debitam obtinere. Datum Laterani Idibus Octobris.

*Scriptum est super hoc in eandem modum*  
*Spoletan. Fulginat. Assinat. Nucerinen.*  
*Reatinen. Narnien.*

*CONSVLIBVS ET POPVLO*  
*Sutrinis.*

**C**um præter solitum, immo plus solito, multis & magnis simus negotiis occupati, quæ per nos ipsos facere non valemus, per alios cogimur adimplere. Sanè inter alias occupationes & solitudines nostras, curam & provisio nem apostolici patrimonij non modicas reputamus, tam ad spiritualem jurisdictionem nostram spectatis quam etiam temporalem. Vnde nobis possit non immiterò imputari, si super ordinatione ipsius essemus tepidi vel remissi, qui cunctorum fidelium solitudinem gerimus pastoralem. Novimus enim (quod tristes & dolentes referimus) quoniam in eo multi quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, querentes, & abutentes per insolentiam sedis apostolicae patientia, pacem perturbant, corrumpunt justitiam, stramat violent, & terram offendunt. unde nobis & vobis non modicum derogatur. Cum igitur super his quæ præmissimus emendandis cum fratribus nostris tractatum habuerimus diligentem, de ipsorum consilio dilectum filium nostrum G. sancti Georgij ad velum aureum Diaconum Cardinalem, virum nobilem & prudentem, quem inter alios fratres nostros speciali diligimus caritate, operi tam utili & necessario deputantes, ut melius & faciliter injunctum sibi officium valeat exercere, dilectum filium P. Præfectum urbis, virum nobilem & potentem, sibi duximus adjungenduni: quibus dedimus in mandatis ut stramat custodian, pacem procurent, justitiam faciant, & terram defendant, alia quoque nihilominus operentur quæ ad honorem Dei, profectum Ecclesiæ;

*Epiſt. 103.*  
*De codem ar-*  
*gumento.*

N n ij

utilitatem vestram & aliorum nostrorum fidelium noverint pertinere. Ut autem dominum sedis apostolicæ, quæ de se verè dicere potest, *Iugum meum suave est & onus meum leve*, diebus nostris dulcedinem non deponat, & nulli fiat penitus odiosum, eis viva voce præcepimus ut vos diligent & honorent, nullum sine causa lâdentes vel contra justitiam aggravantes, sed à vobis potius iniquitatem & violentiam satagant propulsare. Vnde quoties necessitas postulaverit, ad eos vice nostra pro justitia consequenda vel aliis expediendis negotiis poteritis habere recursum. Et ut melius que ad pacem & utilitatem vestram à nobis & fratribus nostris sunt salubriter ordinata, perduci valeant ad effectum; universitatem vestram monemus attentiùs & hortamur in Domino, per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatenus ipsis vice nostra, immo nobis in ipsis intendentis humiliter & devotè, quod super præmissis articulis & aliis emergentibus negotiis utiliter duxerint statuendum, salvo in omnibus apostolicæ sedis mandato, teneatis firmiter & servetis, de universis justitiis & rationibus Ecclesiæ Romanæ sibi plenariè respondentes.

*In eundem modum Consulibus & populo Nepesinis. In eundem modum Consulibus, & populo Oritanis. In eundem modum Ame- lien. Castellan. In eundem modum Tadertin. Assinatibus. In eundem modum Perufin. Fulginat. In eundem modum Spol. Narrien. Reatin. populo civitatis Castellane. Tuscan. Vetrallen. Balncoregen. Centumcellen. Vr- bevetan. Cornetan.*

M A G D E B V R G E N.  
Archiepiscopo & suffraganeis ejus.

*Epist. 204.*  
Vt Hildefe-  
mensis Episco-  
pus, publicè  
excommunicati-  
tus nuntiatur.

*Vide suprà lib.*  
*1. epist. 335. &*  
*lib. 2. epist.*  
*201.*

Cum sine capite nulla possint membra subsistere, si quispiam impune posset apostolicæ sedis privilegia violare, nulla ceteris Ecclesiis de suis privilegiis fiducia remanerer. Verum inter cetera privilegia quæ primatum apostolicæ sedis ostendunt, illud non modicum reputatur quod depositiones, cessiones, & translationes Episcorum fieri sine speciali auctoritate Romani Pontificis interdictum. Hoc autem C. quondam Hildefem. Episcopus non attendens, licentia nostra non solum non obtenta, sed nec etiam experita, Herbipolensem Ecclesiam occupavit, præsumens ad eam propria temeritate transire, cum per il-

lam non possit indulgentiam excusari quam à bonæ mem. C. Papa prædecessore nostro se asserit imprestasse, quæ potius imprestanti turpe ambitionis notam ingessit, ut si videlicet eum ad maiorem dignitatem contingeret invitari, eam sibi liceret assumere, dummodo nihil ei de statutis canonici obviaret. Licet enim ei videatur indulgunt ut invitatus majorem possit assumere dignitatem, per hanc tamen indulgentiam ad parem sibi transire non licuit, cum longè facilius in uno casu quam in alio dispensesetur. Præterea cum & postulatio, sicut elec-  
cio, examinari debeat diligenter, antequam per eum, cui facienda fuerat, ex-  
aminata fuisset, non debebat ulla ratione transire, cum non solum examinatio-  
nem postulationis sed ipsius quoque per-  
sonæ videatur tenor indulgentiae reser-  
vasse, statim subjungens: *dummodo nihil* *apparet quod tibi de canonicis obviet institutus.* Licet autem tantæ præsumptionis excessus ad aures nostras publica referente fama venisset, distulimus tamen procedere contra ipsum, donec litterae ejus receperimus, in quibus se nobis Herbipolensem Episcopum appellabat. Vnde postmodum præsumptionem ipsius debita volentes animadversione punire, vobis & aliis Archiepiscopis & Episco-  
pis in Teutonia constitutis districtè præ-  
cepimus ut cum factum hujusmodi non posset in partibus vestris non esse notoriū, nisi dictus C. infra viginti dies post susceptionem litterarum nostrarum ab Herbipolensi Ecclesiæ administratione cessaret, eum excommunicatum auctoritate nostra non differretis publicè nuntiare, & excommunicationem ejus faceretis pulsatis campanis & candelis accensis, festivis diebus & dominicis in-  
novari. Tu autem, Magdeburgensis, in eum juxta tenorem mandati apostolici, sicut accepimus, processisti, & alij etiam, sicut credimus, processerunt. Quamvis autem in manifestis non sit ordo judicia-  
rius requirendus, & ipse videretur con-  
fessus de crimine, cum in litteris ad nos directis se præsumpsisset Herbipolensem Episcopum nominare, nos tamen ad evi-  
tandam omnem malitiam, in litteris no-  
stris commonitionem canonican duxi-  
mus præmittendam; & eum postmodum etiam ad bonum obedientiae revocare volentes, ipsi non præmissa salutatione mandavimus ut omni excusatione cessan-

*Vide cap*it*o  
IIIud Domini-  
nus. De Cler.  
excomm. Vide  
etiam *infra*  
epist. 278.*